



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Quodnam sit objectum Formale Virtutis Theologicæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

mo est risibilis, quia est rationalis, rationalitas est objectum formale. Nam risibilitas, cui secundum se non assentiret intellectus, eò quòd ex propriis terminis non apparet, at informata, & quasi vestita altera clariori veritate, scilicet rationalis movere intellectum ad assensum; cum autem possit aliquis actus ferri in aliquod objectum, in quod non feratur propter aliud, sed præcisè propter se, ut patet in amore finis,istente in fine,illum non amandò propter aliud & in assensu primi principij, quod non attingitur propter aliud; exinde possunt ejusmodi actus habere objectum formale, quin habeant materiale. Verum hæc levia sunt, ut propter illa recedamus à communi sententia docente, nullum actum posse attingere objectum formale sine materiali, quia, quando aliquid amamus propter se, aut illi propter se assentimur, concipimus duas reverè formalitates; alteram scilicet objecti amati, aut affirmati, quæ sufficit, ut objectum illud denominetur materiale, & alteram, propter quam amamus, aut assentimur, quæ sufficit, ut objectum illud dicatur formale; atque in hoc sensu communi loquimur deinceps in toto nostro Tractatu. Quare objectum materiale est, quod attingitur ab actu, e. g. à voluntate medicina propter sanitatem, & à visu objectum propter colorem, & sic de aliis. Objectum verò formale est id, propter quod attingitur; verum, cum ratio attingendi alia dicatur quod, & alia duntaxat quo, sive sub qua; de his omnibus agendum est in præsentia; pro quibus sit

SECTION I.

Quodnam sit objectum formale virtutis Theologicæ?

52. Objectum formale, ut præmissi num. superiori, aliud dicitur quod, aliud verò quo; objectum formale quod ut cum Div. Thoma, Cajetano, & Capreolo docet Eximius Doctor disput. 3. de fide in initio, & sæpe alibi, præsertim sectione 2. num. 7. sect. 12. num. 8. & 9. disp. 3. de Pœnit. sect. 1. lib. 3. de habitu virtutis Religionis cap. 3. est illa ratio, quæ per se, & ratione sui attingitur à potentia, vel habitu, & cætera ratione illius attinguntur. Objectum formale quo est ratio illa, sub qua potentia, vel habitus attingit objectum seu id, quo mediante ad illud determinatur, ut utrumq; hoc objectum comprehendant aliqui Recentes objectum formale quod vocant objectum formale, ut includens materiale, objectum verò solum formale quo, seu rationem solum formalem, sub qua vocant objectum purè formale, de hac loquendi formula non curo, dum nihil aliud explicent per ea verba, quam quòd intendimus, & quod circa objectum formale explicarunt Antiqui, quibus certè in terminorum explicatione standum est.

53. Hoc autem duplex objectum formale quod, R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

& quo, facile explicatur exemplò, quo utitur Exim. Doct. disp. 3. de fide sect. 12. num. 9. & quo utuntur Recentes Thomistæ cum Gonetò disp. 1. de objecto fidei art. 1. num. 2. v. g. in potentia visiva objectum formale quod est color, quia ille per se, & ratione sui ab oculo percipitur, objectum formale quo, seu ratio formalis sub qua est lux, quia mediante luce visus percipit colores. Objectum verò materiale est omne corpus coloratum, quia omne corpus, quod est affectum colore. à visu percipi potest; quare, sicut potentia visiva non solum distinguitur ab auditiva, quia requirit, lucem tanquam objectum formale quo, sed potius, quia requirit colorem tanquam objectum formale quod; ita etiam virtutes, quæ non conveniunt in respiciendò objectum formale quod, distinguuntur ad invicem, quamvis aliunde respicerent idem objectum formale quo.

54. En jam scopum totius nostræ præsentis controversiæ. Supponunt enim omnes Theologi, virtutem Theologicam in eo distingui à morali, quia virtus Theologica attingit pro objecto formali præceptum Divinum, virtus verò moralis præceptum creatum; cæterum, cum objectum formale aliud sit quod, & aliud quo, inquirendum superest in præsentia, an virtus Theologica distinguatur à morali ex eo præcisè, quòd attingat aliquid Divinum, ut objectum formale quo, vel an ex eo, quòd indispensabiliter attingat aliquid Divinum ut objectum formale quod; plures Theologi hanc controversiam non attingunt, sed potius supponunt utroque modo debere virtutem Theologicam respicere objectum formale Divinum, & hoc quidem commune est apud Antiquos; nihilominus aliqui Recentes, quin hanc controversiam ex profectò resolvant, aut quin eam à limine salurent, quasi principium certum supponunt sufficere ad virtutem Theologicam prout contradistinctam à morali, quòd habeat pro objecto formali quo aliquid divinum. At Eximius Doctor locis supra citatis cum Theologis antiquis tanquam certum supponit, requiri ad virtutem Theologicam quædam talem, seu ut à morali distinctam, quòd habeat pro objecto formali quod aliquid Divinum.

55. Affero cum Exim. Doct. virtus Theologica quæ talis indispensabiliter habet pro objecto formali quod aliquid Divinum. Probatur 1. Quæcumque virtus Theologica attingit Deum tanquam objectum formale quod, id est amplectendò illum propter ipsum. Sic, quando assentimur mysterio revelato per actum fidei, quia Deus summè verax, & sapiens dicit, non solum assentimur objecto materiali propter veracitatem Divinam, sed etiam assentimur Deum esse summè veracem, ut latè infra dicemus agentes de fide, quod planè significat Christus Marci 11. Habete fidem Dei, & Paulus 1. ad Thessalonicenses 1. Fides, quæ ad Deum est; unde Cyrillus Hierosolimitanus catechesi 1 illuminatorum dixit: Fides Deum speculari, Deum inveniri; sic etiam Paulus ad Hebræos 11. Ac-

cedentem ad Deum oportet credere, quia est, atque similia habet ad Ephesos 4. ad Colossenses 2. & 3. & ad Philippenfes 1. Unde Augustin. lib. 4. de civitate Dei cap. 20. inquit, *Fides unum, & primum, ac maximum officium est, ut in unum credatur Deum; & quidem propter ipsum, ut ex Scriptura, & ratione constabit n. 63. sed in hoc stat, quod habeat Deum tanquam obiectum formale quod? ergo &c.*

56. Pariter, quando per spem Theologicam speramus Deum obtinere, vel alia in origine ad Deum ut ultimum finem, non solum habemus fiduciam propter Divinam promissionem de eo, quod Deum obtinebimus, sed etiam diligimus Deum, ut nobis bonum, quem nobis desideramus; desiderium enim obiecti certe est amor obiecti, quod factis indicavit Paulus ad Romanos 5. dicens: *Gloriamur in spe gloria secundum spem vitam aeternam, quam promissit, qui non mentitur Deus: quod significavit etiam Deus ipse Genesis 15. Abrahamo dicens: Ego merces tua magna nimis.* Pariter, quando per charitatem amamus Deum propter suam bonitatem, aut proximum, vel alia bona extrinseca propter Deum, Divina bonitas non solum est ratio, sub qua amamus, sed est, quam propter se ipsam amamus. Quare Div. Thomas 3. part. quaest. 70. art. 4. in corpore accuratè dixit: *Minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas nimia auri, & argenti.* Sic etiam 1. Joannis 4. dicitur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* sed exinde manifestè apparet, requiri ad virtutem Theologicam, ut attingat aliquid Divinum tanquam obiectum formale quod; ergo &c.

57. Probatur 2. ex Div. Thoma 1. part. quaest. 62. art. 2. in Corp. dicente: *Obiectum autem Theologicarum virtutum est ipse Deus, qui est ultimus rerum finis;* ex quo, ut bene colligit Cajetanus supra articulum primum, diversimodè unit cum Deo rationales potentias virtus Theologica, quam moralis: unit enim illas cum Deo immediatè juxta hanc Divi Thomae doctrinam, ut exponit Eximius Doctor lib. 3. de habitu virtutis Religionis cap. 3. quod nos immediatè jungat Deo, ut ultimo fini. Ex qua doctrina sic arguo: essentialè distinctivum virtutis Theologicae à non Theologica est virtus ad conjungendum immediatè cum Deo rationalem potentiam; sed talis virtus essentialiter consistit in eo, quod non solum habeat aliquid Divinum pro obiecto formali quo, sed etià pro obiecto formali quod? ergo &c. Prob. min. Rationalis potentia non aliter potest Deo immediatè uniri, nisi per suos actus; ac proinde intellectus media fide per actus, quibus Deo propter ipsum assentitur; spes per actus, quibus praelucente fide divinarum promissionum, in quibus confidit, sperat sibi Deum obrinere, quod idem est, ac Deum fiducialiter desiderare, & amare. Charitas per actus, quibus Deum propter suam bonitatem super omnia diligit; his quippe conceptibus positus ponitur immediata

unio potentiarum cum Deo secundum naturam cujusque virtutis Theologicae, nimirum secundum naturam unionis intencionalis, concupiscentiae, aut amicitiae. Quaecunque autem ex his formalitatibus ablata tollitur immediata unio potentiae rationalis cum Deo, ut ex terminis patet; ergo &c.

Confirmatur, & explicatur haec ratio. Virtus intellectus, qualis est fides, non conjungit immediatè intellectum cum Deo, nisi Deus sit obiectum, quod ratione sui affirmatur ab intellectu; neque virtus affectiva, qualis est spes, aut charitas, nisi Deus sit obiectum, quod ratione sui amatur à voluntate, vel quia sibi bonum, vel quia amanti bonum; ergo, si Deus solum esset obiectum formale quo & non esset etiam obiectum formale quod, virtutes Theologicae non conjungerent potentias suas immediatè cum DEO. Conseq. tenet, & ant. patet; nam si intellectus Deum non affirmat, Deus non est affirmatus; ac proinde neque immediatè unitus intellectui; si spes, & charitas DEUM non amant, Deus non est amatus, ac proinde neque immediatè unitus voluntati: intellectus enim non potest immediatè unire sibi obiectum, illud negandò: unire enim est amplecti, non fugere, ac proinde unire in intellectu est affirmare; atque propter eandem rationem voluntatem uniri obiecto, non est illud odii habere, vel ab amore praescindere, sed est amare; ergo &c.

Probatur 3. Plures virtutes morales attingunt aliquid Divinum tanquam obiectum formale quo, neque exinde sunt Theologicae; ex eo, quod Deum non attingant tanquam obiectum formale quod; ergo, ut virtus aliqua sit Theologica, factis non est, quod attingat aliquid Divinum ut obiectum formale quo, sed ultimus requiritur, ut illud attingat tanquam obiectum formale quod. Probatur ant. Religio, Pietas, atque obedientia erga Deum, quae apud omnes sunt virtutes morales, habent pro obiecto formali quo aliquid Divinum. Religio enim movetur à majestate Dei ad praestandum illi cultum Patriae, qui creaturae ulli licite praestari non potest ratione sui. Pietas, ratione cuius creaturae debent honorem Deo, movetur ratione dignitatis primae causae, à qua procedunt ad praestandum DEO honorem. Obedientia debita praecipitis Divinis movetur ratione praestantiae Dei praecipientis ad contemenda quaecunque alia praecipita Divinis opposita, & ad obediendum Deo, quod reverà est habere aliquid Divinum tanquam obiectum formale quo; at, quia non respiciunt Deum tanquam obiectum formale quod, non sunt virtutes Theologicae, sed morales. Idem esto de iustitia, Poenitentia, alijsque similibus virtutibus. Vide num. 123.

Etenim propter dignitatem regiam, quam subditus saepe non amat, movetur ad praestandum Regi cultum, honorem, & obsequia. Quare necesse non est, ut jus illud Divinum ad cultum

tum, honorem, & obsequia proponatur ut bonum amabile, sed fat est, quod proponatur ut constituens Deum creditorem, cui propter dictos titulos hæc opera debemus. Creditor autem necesse non est, quod proponatur ut bonum amabile, sive ut objectum formale *quod* ad movendum. Etenim propter jus creditoris importuni, quod debitor non amat, aut potius odio saepe habet, amatur iusta solutio debiti; ergo exinde ejusmodi virtutes, licet attingant Deum tanquam objectum formale *quo*, non sunt Theologicae, sed morales, quia Deum non attingunt tanquam objectum formale *quod*.

61. Confirmatur, & explicatur hæc ratio; objectum formale dupliciter potest movere ad amplectendum materiale, nimirum vel per convenientiam, vel per inconvenientiam, aut non convenientiam, quando non movet per convenientiam, quando non movet ad affirmandum materiale, nisi quando objectum formale repræsentatur ut verum affirmabile; neque movet ad volendum objectum materiale, nisi prout objectum formale repræsentatur ut bonum amabile. Tunc autem movet per non convenientiam, quando vel opponitur denominationi, quam confert objecto materiali, vel à convenientia præscinditur, vel confert denominationem, cujus capax non est objectum formale; sic Deus propter gratiam diligit amore amicitiae hominem iustum; gratia autem capax non est amore amicitiae, cum hanc capacitatem habere solum possit natura rationalis. pariter plura alia objecta formalia movent ad amandum objectum materiale, quin illa repræsententur ut bonum amabile, vel præscindendo ab illa amabilitate per confusam saltem eorum conceptionem, vel per exclusionem amoris. sic affectus, quo vis succurrere pauperi, *quia miser est*, habet pro motivo prædictam miseriam, quam non amas, sed excludere optas. 2. affectus, quo Sanctissimus Superior ex iustitia punitiva vult punire subditum, quia peccavit, habet pro motivo peccatum commissum, quod à Superiore non amatur. 3. Generosi illi affectus, quibus perfecti viri decernunt reddere pro malis bonum, habent pro motivo mala non amata. 4. subditus; qui summam mentis renitentiam vult Indos adire, quia sic à Superioribus præcipitur, habet pro motivo præceptum, quod non amat. 5. qui noluisse emississe votum; et quia emisit, movetur ex illo ad aggrediendum Hierosolimitanam peregrinationem, movetur ex voto, quod non amat. 6. qui non confert beneficium consanguineo sibi charissimo, quia est indignus, sed extraneo digno, movetur ex indignitate consanguinei non amata. 7. qui vult poenitentiam propter peccata contra Deum commissa, movetur ex peccatis, quæ non amat; quibus in calibus, ut ex terminis patet, objecta illa formalia se habent ut *quo*, non verò ut *quod*, ex eo præcisè, quod denominent objecta materialia per inconvenientiam, seu per non convenientiam.

62. Quando verò objectum formale denominat

objectum materiale per convenientiam, tunc concurret non solum ut *quo*, sed etiam ut *quod*; sic, quando affirmo Petrum esse risibile, quia est rationalis, rationale movens int rinfecè ad affirmandum risibile affirmatur non minus, quam risibile; sic etiã salus movens intrinsecè ad volendam medicinam, non minus amatur, quam ipsa medicina; sic finis intrinsecè movens ad ponendam media propter ipsum, non minus amatur, quam amentur ipsa media; atqui virtutes Theologicae habent objectum formale intrinsecè denominans per convenientiam; ergo habent objectum formale se habens non solum ut *quo*, sed etiam ut *quod*. Consequentia tener, & minor patet; quia fides eatenus proponit nobis mysterium verum, quia à DEO dictum, quatenus proponit nobis DEUM infallibilis auctoritatis in suis dictis, qui neque falli, neque fallere potest, cui infallibili auctoritati innititur immediate actus fidei; ac proinde objectum formale fidei, ratione cujus affirmamus objectum materiale, movet nos ad assensum, quatenus proponitur nobis ut verum affirmabile per actum fidei non minus, quam objectum materiale. Revelatio enim Divina, ut habet Exim. Doctor disp. 3. de fide sect. 12. num. 12. non solum est sufficienter proposita ad credendum propter ipsum extrinsecum objectum revelatum, sed etiam ad credendam ipsam propter locutionem, seu verbum DEI; cum revera ipsa ratione sui sit locutio, & verbum DEI. Locutio siquidem altera est extrinsecè reflectens supra locutionem; sicuti, quando per unam locutionem relevatur altera, ut, quando Scriptura dicit Jeremiae 36. *Fatum est verbum Domini ad Jeremiam Prophetam*; ubi una revelatio extrinsecè reflectit supra alteram; quo in casu ea, supra quam reflectitur, dicitur revelata in actu signato. Altera verò est intrinsecè reflectens, & dicitur revelata in actu exercito, quod essentialè est omni Divinae revelationi, imò & humanae locutioni; nam, licet homo loquens non dicat per extrinsecam reflexionem se loqui, loquendò tamen id satis dicit in actu exercito; atque hac ratione, quando aliquid sufficienter proponitur ut dictum à Deo, eo ipso locutio illa sufficienter proponitur ut verbum Dei, & indeo non tantum res dicta, & distincta à locutione, sed etiam ipsa locutio accipienda est, ut dicta per ipsam, & credenda ut verbum Dei per ipsum actum fidei, per quem res extrinsecè dicta creditur.

63. Quod mihi expressum omnino apparet in Scriptura: sic urgente nos ad credendum 1. Joannis 5. *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas; si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo.* Et 1. ad Thessalonicenses 2. *Cum accepissetis à nobis verbum auditus fidei, accepissetis illud non ut verbum hominum, sed ut verè est verbum Dei.* En quo modo motivum credendi proponitur in Scri-

ptura denominans per convenientiam, sive ut apparet infallibiliter, & intrinsicè dictum ad denominandum dignum assensu, atque infallibiliter verum extrinsecum objectum, quod revelatur. Quando enim credo, quia Deus dicit, illa causalis quia juxta regulas summularum non aliter exponi potest, nisi per tres affirmationes, ut tanquam certum omnino supponit Exim. Doct̃or disp. 3. de fide sect. 12. num. 9. Affirmo siquidem objectum dictum, affirmo Deum dicere, & affirmo objectum esse verum, quia Deus dicit. Sic in hac propositione, *Petrus est doctus, quia studet*, non solum affirmo doctrinam Petri, quæ poterat esse infusa, & sine studio, nec solum affirmo studium quod poterat esse sine doctrina, sed affirmo, doctrinam, & studium; simulque assero, studium esse causam doctrinæ, quod valde notandum est ad intelligendum sensum exponibilem propositionum constantium illa causalis quia. Pariet spes desiderans fiducialiter Deum, ut nobis bonum, vel alia in ordine ad Deum, ut ultimum finem nostrum non aliter mover, nisi attingendò Deum, ut bonum amabile nobis; quod idem est, ac denominari objectum materiale ab objecto formali per convenientiam. Tandem charitas amans Deum propter se, aut creaturam propter Deum, non aliter attingit Deum, nisi ut dignum amore super omnia, quod perinde est, ac attingere objectum materiale per convenientiam ad formale; ergo virtutes Theologicae, quæ tales, non aliter attingunt objectum materiale propter formale, nisi attingendò, ut quod objectum formale.

64. Probat̃ur 4. conclusio. Virtus Theologica non respicit aliquid Divinum pro objecto formali extrinsecò, sed intrinsicò: objectum enim motivum extrinsecum, cum sit illud, quod verè, & propriè non attingitur ab actu, sed solum supponitur ut actum per alium actum, non sufficit ad specificandum actum Theologicum; nulla quippe res specificatur ab alio termino, ad quem non dicit intrinsicum respectum, vel ordinem. Sic actus imperatus habet pro motivo extrinsecò objectum formale actus imperantis, quod ab actu non attingitur intrinsicè. Quare actus imperatus non induit naturam imperantis. Sic, licet actus justitiæ imperetur à charitate, non est actus charitatis: sic conclusio non reflectens supra præmissas, sive sit purè philosophica, sive Theologica, qua fidelis credit mysteria fidei, non habet pro objecto formali intrinsicò, sed extrinsecò objectum formale præmissarum, ideòque conclusio formalis est actus purè Theologiæ; licet præmissæ formales sint actus fidei; atqui actus virtutis Theologiæ nequit respicere pro objecto formali intrinsicò aliquid prædicatum Divinum, quin attingat illud & intrinsicè, & per convenientiam, & fundandò immediatè in ipso tanquam objecto formali actum suum, non verò in præmissis, in imperio, aut alio simili; ergo ex dictis

Fit 1. Virtutes Theologicae per se infusae, spei, & charitatis distingui ab habitu Theologico, quia iste, cum deserviat ad eliciendas conclusiones, pertinet ad intellectum; spes verò, & charitas ad voluntatem. A fide quoque distinguitur, quia habitus Theologicus est entitativè naturalis, & acquisitus, ut dixi num. 1. de Deo, deservitque ad eliciendam conclusionem, quæ habet pro motivo saltem extrinsecò identitatem extremorum cum medio. Actus fidei nequaquam innititur identitati extremorum cum medio, sed immediate uniti, & intrinsicè innititur auctoritati Dei revelantis. Distinguntur etiam virtutes infusae à scientia naturali, quam de Deo habemus, quia ista est pariter acquisita, & naturalis, cum ex intrinsicis suis non conducatur ad vitam æternam, quod idem est de speciebus naturalibus, quas Deus Angelis infundit. Quin potius, licet scientia naturalis à DEO infunderetur, non esset per se infusa, sed infusa per accidens, & per se acquiribilis. Virtutes autem Theologicae, de quibus loquimur, & sunt supernaturales, & per se infusae deservientes ad simpliciter posse, ut saepe diximus. Atque exinde: Fit 2. in sententia eorum Theologorum, qui cum Soto, Durando, Nominalibus, utroque Hurtado, Arriaga, & aliis contra Oviedum, Ripaldam, & alios admittunt habitum supernaturalem acquisitum, & comparatum ex repetitione actuum supernaturalium, ad eum modum, quo ex repetitione actuum naturalium acquiritur habitus naturalis. Talem habitum supernaturalem acquisitum non afferre virtutem se habentem tanquam potentiam, sed tanquam facilitatem potentiae. Sicut habitus acquisitus intellectus non affert intellectum, sed facilitatem intellectui, neque habitus acquisitus voluntatis affert voluntatem, sed facilitatem voluntati.

Quare Theologi communiter docent, amisso habitu per se infuso amitti quoque habitum supernaturalem acquisitum; cum facilitas traditur in potentia, qua amissa amittitur quoque facilitas. Unde solum poterit manere facilitas naturalis radicata in potentia naturali, quæ manet; quamvis aliquando doceant, habitum acquisitum manere posse, dum manet ipsius subjectum, quod est anima, in qua sine gratia manent etiam habitus per se infusi fidei, & spei; proinde manere posset habitus, qui daret facilitatem potentiae operativae, si ea potentia adesset. Sic, qui habet facilitatem imperantem ad pulsandum cytharam, dum habet simpliciter posse, nempe manus expeditas, facile pulsabit; si autem auferatur simpliciter posse, quia abscinduntur illi manus, manebit in illo virtus, quæ daret facile posse, si adveniret simpliciter posse, aut restituerentur manus expeditae. Verùm hæc parvi momenti sunt, neque ad nostrum attinent institutum; cum in præsentem non agamus de virtutibus acquisitis, sed de virtutibus per se infusis.

Fit 3. divisionem virtutis in Theologiam, & non

& non Theologicam, vel in moralem, & non moralem esse adaequatam; cum nulla detur, quae non sit Theologica, vel non Theologica, vel quae non sit moralis, vel non moralis. Divisionem verò virtutis in Theologicam, & moralem non esse adaequatam; cum dentur plures virtutes intellectuales, v. g. scientia, sapientia, prudentia, & id genus aliae, quae non sunt Theologicae; cum non habeant pro objecto formali quod aliquid Divinum, neque sunt morales, cum non sint virtutes voluntatis se laudabiliter exercentes in fuga mali, aut amplexione boni quae talis: ad eum modum, quo divisio animalis in rationale, & non rationale, vel in equinum, & non equinum, est adaequata, cum nullum detur animal, quod non sit vel rationale, vel non rationale, vel non sit equinum, vel non equinum.

68. At divisio animalis in rationale, & equinum non est adaequata, quia datur aliquod animal, v. g. leoninū, quod neque est rationale, nec equinum. Quare, licet virtutes Theologicae tres duntaxat sint in viatoribus, quarum duae spes, scilicet & charitas, pertinent ad voluntatem, & tertia scilicet fides ad intellectum; plures aliae pertinent ad intellectum, quae non sunt virtus Theologica fides, ut constat ex num. superiori, & patet in fide, qua assentimur virtuosè creaturis propter ipsarum testimonia; & plures etiam pertinent ad voluntatem, quae non sunt spes, aut charitas Theologicae, quales sunt iustitia, fortitudo, temperantia, charitas, & spes moralis, Religio, pietas, obedientia, & id genus aliae, quae ex multiplicitate diversitate suorum objectorum formalium non possunt à nobis sub determinata numeratione comprehendì, ut constat ex num. 30. Exinde saepe Theologi aliquas morales virtutes, quae hucusque impositum nomen non habent, quando occurrit occasio eas explicandi in ordine ad suum speciale objectum formale, solent illas vocare virtutes innominatas. Vide à num. 85.

69. Fit 4. prudentiam, quae virtus est directiva morum, non esse rigorosè virtutem moralem, sed intellectualem; quia non attingit bonitatem moris tanquam rationem formalem *sub qua*, sed tanquam rationem formalem *qua*: exprimit enim, & repraesentat voluntati bonitatem moris, quae hic, & nunc digna est amplexione, propter quod dicitur, illam attingere, ut rationem formalem *qua*; at, cum non respiciat illam bonitatem, quae bonam, sed illam bonitatem, quae veram, non potest dici illam attingere tanquam rationem formalem, sub qua; hoc enim attinet ad virtutem voluntatis, ad quam spectat attingere bonum, quae bonum. Quare prudentia late solum dici solet virtus moralis, quatenus circa objectum virtutis moralis se exercet, repraesentandò illud voluntati, ad quam pertinet objectum illud attingere sub ratione boni. Exinde Fit 5. virtutes morales Cardinales strictè sumptas esse duntaxat tres: nimirum iustitiam, fortitudinem, & temperantiam, quae qui-

dem à Theologis cum Ambrosio ideo vocantur Cardinales, quia inter virtutes morales sunt primariae, principales, & universales, quibus tanquam in cardine aliae virtutes morales innituntur, & quasi sub illis comprehenduntur; cum illae sint restrictae, & gubernatrices nostrarum actionum, quam ob causam Ecclesiae Principes vocantur Cardinales; quo in sensu Sanctus Ambrosius Ecclesiarum Rectores nominavit Cardinales, quasi cardinantes, id est regentes, ut notavit Raynaudus lib. 1. de virtutibus sect. 4. à num. 228.

70. Quòd autem sub his tribus virtutibus moralibus reliquae aliae morales comprehendantur, exinde patet, quia vel respiciunt bonum morale ad alterum, & illi debitum, & sic comprehenduntur sub iustitia late sumpta, quae est virtus ad alterum; vel respiciunt bonum ex commensuratione actionis ad ipsum operantem, & sic vel spectant ad fortitudinem, vel ad temperantiam, quia vel sunt in ordine ad actiones appetitus concupiscibilis, id est in ordine ad bonum delectabile, & sic spectant ad temperantiam, vel sunt in ordine ad actiones appetitus irascibilis, id est ad objectum arduum, & difficile; & pertinent ad fortitudinem. Ceterum, cum virtutes morales ratione suae limitationis non possint se extendere, quantum se extendunt virtutes Theologicae in hac providentia, ut constat ex num. 43. attingunt objectum suum formale valde restrictè: iustitia enim prout respicit jus, non quidem tendens ad bonum aliorum, sive ad bonum communitatis, sed prout sistit in ipso habente jus tanquam in creditore. Quare distinguitur ab obedientia, quae supponit jus Superioris, prout respicit commodum, & utilitatem subditorum; idemque suo modo contingit in aliis virtutibus, quae tribus his cardinalibus subjacent, longiusque esset omnes percurrere.

71. Virtutes autem Theologicae in hac providentia propter majorem suam perfectione, cui Deus se accommodavit, ita respiciunt suum objectum materiale, ut illud semper respiciant propter Deum, tanquam objectum formale *quod*, saltem quando operantur ut Theologicae, ita, ut nihil per diviam fidem credamus, nisi quia à Deo dictum, & revelatum est; nihil speremus, nisi ipsum DEUM amplectendò, ut Nostri Beatorum, ita, ut quodcumque aliud objectum materiale per spem Theologicam speramus, attingatur ut dicens ordinem ad beatitudinem, ut constabit à num. 85. & nihil per Theologicam charitatem amemus, nisi quod est Deo bonum, quia ipsi bonum; quare quidquid attingibile est à viatoribus regulariter, & stabiliter operantibus, respiciendò DEUM, ut objectum formale *quod*, adaequatè comprehenditur sub motivo harum trium. Dixi in assertione virtus Theologica *quae talis*, ut praescinderem à sententia illorum, qui docent, hoc esse discrimen inter fidem, & alias virtutes Theologicas, nimirum, quòd licet fides non possit aliter actus suos elicere, nisi per unumquemque actum attingendò DEUM ut *quod*; cum ex praecepto,

& na.

& naturâ fidei debeamus credere Deo per quemcunque actum fidei unicè, quia DEUS dicitur, at non est præceptum ita semper sperandi, & amandi per quemcunque actum spei, & charitatis, ac proinde, si istæ duæ virtutes eliciant actus secundarios, quasi imperatos à primariis, & per illos non attingunt DEUM, ut objectum *quod*, sed tantum ut *quo*, virtutes illæ non operabuntur quâ Theologicæ in ordine ad istos actus, nec isti erunt propriè Theologici, sed reductivè tantum, prout procedunt à virtute ex aliis actibus Theologicis, vel speciebus ab ijs relictis determinata ad secundariam operationem, quæ non in actu, sed in habitu respicit Deum, ut objectum formale *quod*. Cæterum mihi probabilius valde est, nullum actum procedere à virtute Theologica, qui non attingat Deum ut *quod* propter rationes supra allatas. Neque illi actus secundarij distinguuntur ab ijs, eò quòd non attingant objectum Divinum ut *quod*, sed quia non attingunt illud ex tota universalitate motivi, ut dixi num. 35. de virtute Poenitentia.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

72. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: actus fidei Divinæ, quo futuram resurrectionem credimus, actus spei, quo aliqua extra DEUM speramus, & actus charitatis, quo Deo gloriam extrinsecam amamus, non attingunt Deum ut objectum formale *quod*, sed tantum ut objectum formale *quo*; ergo ad virtutem Theologicam non requiritur, quòd attingat Deum ut objectum formale *quod*. Probat. ant. illo actu fidei non credimus Deum, sed solum Deo revelanti, vel credimus propter Deum revelantem; neque per illum actum charitatis amamus bona intrinseca, sed extrinseca Deo, ac proinde non amamus Deum, sed bona altera Deo; quod idè contingere potest in alijs actibus spei, quibus aliqua bona extra Deum nobis speramus, v. g. visionem intuitivam, & id genus alia; ergo &c. Respondeo nego ant. ad probationem nego etiam ant. quia actus fidei Divinæ, quo infallibiliter credimus Resurrectionem, quia Deus revelavit; idemque de quovis alio actu fidei Divinæ, non potest movere ad assentiendum objecto extrinseco revelato, quin infallibilis auctoritas Dei proponatur nobis in actu exercito dicta, & ut verum affirmabile per ipsum actum, ut constat à num. 62. & latè infra dicemus agendò de fide; auctoritas enim tum Divina, tum humana intendens fidem nostram adhibere dicendò, non solum dicit signatè objectum extrinsecum utcumque esse verum, sed dicit etiam exercitè esse verum testimonium dicentis, non quidem ut sonus campanæ se ipsum significat, cum non sit locutio, sed ut vera locutio seipsam significat,

quod formalissimè est reddere in actu exercito ipsius Dei testimonium intrinsece dictum, & sufficienter propositum ad credendum ipsum propter ipsum, non minus, quam sit propositum objectum extrinsecum ad credendum illud propter idem testimonium.

Quare hæc propositio causalis: credo resurrectionem mortuorum, quia Deus illam dicit, innitendò per immediatam adhesionem ipsi Divino testimonio, includit essentialiter affirmationem Dei dicentis; nec aliter est expontibilis illa causalis, ut constat ex num. 63. aliter non esset causalis, sed quasi causata, & imperata seu supponens causalitatem per alium prævium actum attractam; verum de his latius agendò de fide. Eodem profus modo, quando amo bona extrinseca Deo, quia Deo bona, amo quoque Deum propter se ipsum; cum Deus non aliter moveat ad illum amorem, nisi repræsentatus ut bonum amabile: sicut enim velle aliquid malum, quia ipsi malum, est formalissimè illum odio habere; ita velle Deo bonum quia ipsi bonum, est formalissimè Deum amare. Pariter, quando per spem Theologicam desideramus visionem nostram intuitivam, aut amorem beatificum, non præscindimus à desiderio Dei, qui est ultimus noster finis, quem obtinere desideramus per illam visionem intuitivam, & amorem, ideòque nunquam præscindimus ab amore ipsius Dei. Unde virtus Theologica semper attingit Deum ut objectum formale *quod*; nec aliter potest virtus operari quâ Theologica.

Objic. 2. Ad virtutè Theolog. sufficit, quòd potentia rationalem immediatè uniat cum Deo; sed, ut ita uniat potentia rationalis cum Deo, satis est, ut attingatur Deus tanquam objectum formale *quo*; ergo ad virtutem Theologicam satis est, quòd attingatur Deus ut objectum formale *quo*, ac proinde non requiritur, ut attingatur indispensabiliter tanquam objectum formale *quod*. Confirm. Objectum formale *quod* ultra objectum formale *quo* nihil aliud dicit, nisi objectum materiale; atqui virtutes non specificantur ab objecto materiali, sed à solo objecto formali; ergo virtutes Theologicæ non specificantur à Deo attracto tanquam objecto formali *quod*, sed attractò duntaxat tanquam objecto formali *quo*.

Resp. conc. maj. & neg. min. quia unio immediata rationalis potentia cum Deo dari nequaquam potest, quin potentia rationalis amplectatur Deum; cum ea amplexio sit intentionalis unio potentia cum suo objecto; amplexio autem intellectualis objecti, non est alia, nisi affirmatio, neque amplexio affectiva alia, nisi amor; ac proinde, si Deus non attingatur ab intellectu, & voluntate, ut objectum formale *quod*, non possunt istæ potentia manere Deo immediatè unitæ. Ad confirmationem dist. maj. nisi objectum materiale distinctum realiter à formali, neg. indistinctum, conced. maj. & distincta pariter minori neg. consequent. quia licet virtutes se habentes per modum po-